



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


Universitätsbibliothek Paderborn

Theses Theologicae Refutatoriae Apologiae Pro Nuperis Anti-Thesibus

Huygens, Gommarus

Lovanii, [1685?]

urn:nbn:de:hbz:466:1-40589



Th. 2170.

D. IV

3.

PHILOSOPHIAE MORALIS

PRINCIPALIA

APPENDIX

PROPOSITIONES

T H E S E S
THEOLOGICÆ
REFUTATORIÆ

APOLOGIÆ PRO NUPERIS ANTI-THESISIBUS

QUAS

P R Æ S I D E

EXIMIO VIRO D. AC MAGISTRO NOSTRO

GUMMARO HUYGENS

L Y R A N O,

DEFENDET

FRANCISCUS JACOBUS VIVIEN

B R U X E L L E N S I S

In Collegio ADRIANI VI. Pontificis die 31. Augusti 1685.



L O V A N I I,
Typis GUILIELMI STRYCKWANT sub aurea Lampade.

THEOLOGICAE

APPOLOGIA PRO NUPRIS ANTI-TRINIS

PER A. S. D. D.

JACOBUS VIVIANI



P R Æ F A T I O
A D
L E C T O R E M

A Pologia pro *Anti-thesibus ad Theses Theologicas nostras*, pergit confirmare duas assertiones, facta concernentes, abundè, uti credebamus & etiamnum credimus, refutatas per *Theses nostras Theologicas Anti-thesibus oppositas*.

Prætereà pergit urgere responsum ad præliminaria.

Denique conatur rationes aliquas prætexere, ob quas justum videatur, quod Patres Societatis non exhibeant Doctrinæ suæ Articulos, quemadmodum nos fecimus.

C O N C L U S I O P R I M A.

§. I.

Rursùs ostenditur, quod in conventionem coram Illustrissimo Domino Archiepiscopo Mechliniensi, nec expressè, nec implicitè sint admittæ conditiones, vi quarum liceret Patribus, antè traditionem suorum Articulorum exigere aliqua, veluti præliminaria.

Per ultimas Theses nostras, quas *Anti-thesibus* opposuimus, Concl. I. evertimus assertionem R. Patris DE PAPE de conditionibus adjiciendis.

Primò, quod Illustrissimus Dominus Archiepiscopus non semel, sed sæpiùs, in secundâ conferentiâ, quæ habita fuit 26. Aprilis asseruerit contractum coram se esse initum ABSOLUTE, SINE EJUSMODI CONDITIONE, SIMPLICITER &c.

Secundò, quod in eadem conferentiâ idem, quod ab Illustrissimo D. Archiepiscopo, etiam à me sæpius dictum sit.

Tertiò, quod R. P. DE PAPE nullam fecerit in istâ Conferentiâ mentionem conditionis,

A 2

tionis,

tionis, ut jam prætenditur, antè admissæ: nisi postquam alia effugia videbantur non satisfacere objectionibus quibus constanter asserbatur, quod contractus esset initus ABSOLUTE, SIMPLICITER &c.

Quartò, quod R. P. DE PAPE valdè obiter injecerit sermonem de conditionibus; fueritque ille responsis meis mox ita suffocatus, ut crederem ipsummet P. DE PAPE admittere, quòd vel de conditionibus non fuerit facta mentio, vel fuerint intellectæ conditiones expressæ in contractu.

Et hæc quidem sunt quæ §. 1. istius nostræ Conclusionis primæ allegavimus.

Secundo verò §. ostendimus, triplicem contradictionem implicare, quòd contractus in Thesis nostris pluries expressus consistat cum libertate ad conditiones, qualem prætendunt Patres.

Tertio §. probatum est, quod adversaria R. P. DE PAPE etiam in aliis erraverint.

Ad hæc omnia respondet Apologista, illa refutari satis in epistola adjicienda ad calcem Apologiae.

Porro Epistola ista est R. P. DE PAPE Rectoris Collegii Societatis Bruxellis, in qua dictus Pater affirmat se persistere in assertionem suâ de potestate postulandi conditiones, dicens Illustrissimo Domino Archiepiscopo & mihi excidere potuisse quod ipse dixerat de Conditionibus: Ego contra persisto in iis quæ super hæc re dixi in ultimis nostris Thesis. Numquid enim longè verosimilius est, ut uni isti Patri exciderit aliquid, quam ut duobus; maxime dum inter hos connumeratur ipsemet Archiepiscopus à partibus electus. Prætereà scopo nostro sufficit si R. P. DE PAPE sermonem de Conditionibus, quem dicimus fuisse habitum priusquam contractus esset completus (adeoque intelligi conditiones in contractu postea expressas) per errorem existimaverit esse habitum, postquam contractus esset omninò completus. Quis verò rursus dubitat, quin ejusmodi error longè facilius obrepat, quam qualis meus; imò & ipsiusmet Illust. Domini debuisset fuisse; nimirum circa potestatem postulandi conditiones, totius contractus, ob quem illuc conveneramus, eversum.

Dicit insuper dictus Pater quod sermonem de conditionibus fecerit *in initio* collationis habitæ 26. Aprilis, eumque non obiter esse injectum, sed *valdè expressum*, nec *vice simplici*: Verum nos e contra persistimus in iis, quæ ex Adversariis nostris, coram Illustrissimo Domino Archiepiscopo jam pridem relectis, in ultimis nostris Thesis circa hanc rem transcripsimus.

Ad ea quæ §. 2. diximus: conferentiæ nostræ contractum (ipse vocat modum) si conditiones admittat, implicare contradictionem non unam, respondet brevissimè: RIDICULUM. Numquid ridiculè & commodè?

Nos ex adverso in assertionem nostram de triplici contradictione omninò persistimus, & rursus dicimus:

Primam contradictionem in hoc sitam esse, quod ANTE OMNIA pars utraque debuisset tradere suas sententias: & tamen simul relicta fuisset potestas, ut postquam una pars tradidisset suas sententias, altera suas non traderet.

Secunda est, quod initus sit contractus, quo pars utraque alteri se OBLIGAT, ut suas sententias tradat: & simul maneat libertas ponendi conditiones, vi quarum numquam ad traditionem veniatur.

Tertia est, quod contractus sit ferius: & simul relicta sit potestas quando, quomodò, & quales volunt conditiones apponendi, adeoque conventionem illam reddendi PUERILEM, RIDICULAM ET EXPLOSIONE DIGNAM.

Notet Lector quod in hac Apologia contractus rursus non exprimitur; verisimiliter idcirco, quia vel sola illius expressio ostenderet dictas contradictiones.

Ad

Ad ea quæ §. 3. in ultimis Theſibus diximus , reſpondet R. P. DE PAPE , ſe reverà Doctoribus HUYGENS & HENNEBEL aliqua reſponſiſſe , dum dicebant ſe doctrinæ ſuæ Articulos jam tum tradidiſſe : Nos iterùm econtrà dicimus , nobis eſſe certiffimum , quod R. P. ne verbo quidem reſponderit ſuper hoc negotio. Hinc nos in ipſo diſceſſu à R. P. Rectore incepimus, occaſione inexpectati illius ſilentii, inter nos quærere, num oportuiſſet ſilentium iſtud violentè abrumpere , reſumendo ſcilicet ſermonem de traditione ſententiarum noſtrarum : ſiquidem alter noſtrum contendebat ita oportuiſſe ; alter ex adverſo idcirco non oportuiſſe, quia R. P. Rector (quem nunc à traditione Articulorum alienum eſſe ex iſto ſilentio ſatis intelligebamus) liberiùs apud nos , quàm apud Illuſtriſſimum Dominum Archi-epiſcopum allegaſſet aliquas ratiunculas ad conceptam conferentiam ſiſtendum.

§. 2.

*Probatum iterum , quod Illuſtriſſimus D. Archi-epiſcopus non voluerit in Conferentiâ
aſſumere officium Iudicis.*

IN ultimis Theſibus primum per ipſummet contractum , deindè per clariffimam aſſertionem ipſiuſmet Illuſtriſſimi Domini Archi-epiſcopi , evidenter , uti credebamus & adhuc credimus , probavimus , quod Illuſtriſſimus D. Archi-epiſcopus noluerit in conferentiâ noſtrâ aſſumere officium Iudicis : quibus reſpondet Apologiſta : *Si ita ; cur igitur coram illo fiet diſputatio ?* Reſpondeo , quia totius Belgii Primas , ſi Eccleſiaſticorum ullus in toto Belgio , ſuâ Authoritate valet excludere tergiverſationes , quæ , ut eventus docuit , irrepere poſſunt.

Ipſe etiam per eminentiam ſui characteris ampliorem habet poteſtatem , ut partibus aut jubeat , aut ſuadeat ea , quibus deſiderata Collatio debite promoveatur.

Præterea ordinatè proceditur , dum prius coram Illuſtriſſimo Domino Archiepiſcopo controverſia diſcutitur , per quem deindè tota ad Sedem Apoſtolicam deferatur.

Pergit Apologiſta confirmare , quod de Archiepiſcopo dixerat : *Certè arbiter , inquit , teſtis & Iudex erit in iis , in quibus conveniendum erit , licet reliqua ultimè ad Sedem Apoſtolicam ſint deferenda.*

His ego : quid opus Iudice ſuper iis in quibus partes inter ſe conveniunt ? Aliter certè ſenſerunt RR. PP. Provinciales Minorum & Societatis in procuratoriis nuper à ſe datis : Aliter quoque R. P. IGNATIUS DIETINS anno 1677. quo tempore & ipſe erat Provincialis PP. Societatis JESU.

Hinc rursùs conficitur , quod vanus & fictivus ſit ille timor , qui in Apologia iterùm præſentitur ; quodque Anti-theſium , qui & Apologiæ eſt , Author voluerit collationem , aliundè ſibi plus ſatis inviſam , magis exoſam reddere etiam hoc titulo , quod Illuſtriſſimus D. Archi-epiſcopus in ea Iudex futurus fingatur.

Certè res ſatis indigna eſt , & Epiſcopatui valde injurioſa , quod præſentatur Epiſcopo non eſſe licitum audire doctrinam quæ in ejus Diœceſi traditur , ejuſdem articulos legere , excipere utriuſque partis reſponſa ac replicas , denique teſtem agere omnium iſtorum , & pacis mediatorum ; & eo quidem fine ut ſi ad Concordiam ventum non fuerit , omnia ad S. Sedem tranſmittat. At certiffimum eſt quod Illuſtriſſimus D. Archiepiſcopus nihil aliud agere voluerit , ut ita ſatiſficeret eſſentiali iſti obligationi , quam habent omnes Epiſcopi , procurandæ ac fovendæ pacis in ſuis Diœceſibus. Viderit ergo Apologiſta , viderint alii quo jure hoc denegent ſuo Archi-epiſcopo , hoc titulo quod doctrina controverſa jam Romæ examinetur.

CON-

CONCLUSIO SECUNDA.

Frustrà Apologista pergīt exigere responsum ad præliminaria.

§. I.

Dilatatur primum pertinens ultimarum nostrarum Thesium, ut clarius pateat, quod præliminaria eo solo fine sint excogitata, ut Patres aliquo colore se possint excusare, quod non tradant Articulos suæ doctrina.

Pertinens, cujus in titulo hujus §. fit mentio, sic habet: *Vbi RR. PP. juxta primam partem contractûs tradiderint suas sententias Illustrissimo Domino, liberrimum illis erit agere de illis, qua voluerunt esse præliminaria; nimirum contra sententias nostras, prout ipsis placuerit, replicando juxta secundam partem contractûs, vel nos interrogando juxta partem quartam. Ad quid ergo volunt illa præmitti ut præliminaria; nisi ut numquam tradant suas sententias?* Pertinens istud habet duo membra æquè principalia, quorum prius est hoc: *Vbi RR. PP. juxta primam partem contractûs tradiderint suas sententias Illustrissimo Domino, liberrimum illis erit agere de illis qua voluerunt esse præliminaria; nimirum contra sententias nostras, prout ipsis placuerit, replicando juxta secundam partem contractûs.* Ita namque habet secunda pars contractûs: *SENTENTIÆ A PARTE VNA TRADITÆ, PER ILLUSTRISSIMUM DOMINUM ALTERI PARTI COMMVNICABUNTUR EO FINE, UT HÆC CONTRA REPLICET; POSTMODVM PARS VTRAQUE IN DEFENSIONEM SVARVM SENTENTIARVM DVPLICET; ET POSTEA, SI OPVS, PROCEDATVR AD QVADRVPLICAM; ET DENIQUE AD COLLATIONEM VERBALEM:* Cui si Patres post traditionem suarum sententiarum infistant, liberrimum illis erit siue ex constitutionibus Pontificiis, siue ex scriptis D. DU BOIS, siue ex lectionibus ejus publicis (his enim etiam satisfactum volunt) adversus sententias à nobis traditas, quidquid voluerint & quomodò voluerint, replicare.

Ad quid ergò his omnibus satisfactum volunt, priusquam doctrinæ suæ Articulos tradant; nisi ut quocumque modo subterfugiant satisfacere obligationi, quâ per contractum sese obstrinxerunt, quemadmodum & nos, collationem incipere à traditione suarum sententiarum?

Enimverò si seriò quærant responsa nostra, exhibeant ipsi prius doctrinæ suæ Articulos: tunc enim, etiam vi contractûs, tenebimur ad omnia illa respondere: quod quamdiu non faciunt, non responsa nostra, sed subterfugia quærent, ne cogantur sententias suas tradere.

Secundum membrum pertinentis est: *Vbi RR. PP. juxta primam partem contractûs tradiderint suas sententias, liberrimum illis erit agere de illis, qua voluerunt esse præliminaria, nos interrogando juxta partem quartam.* Quarta pars contractûs est: *VTRIQUE PARTI LICITVM ERIT INTERROGARE ALTERAM DE ARTICVLIS NON EXPRESSIS, NVN EOS TENEAT:* Juxta quam, ubi doctrinæ suæ Articulos tradiderint, poterunt Patres nos interrogare, quid doceamus circa singula puncta præliminarium, etiam circa omnia quæ D. DU BOIS unquam dixit & scripsit. Et quamvis, si omnibus illis vellent inhærere, totus contractus numquam exhauriretur; habebitur equidem istud boni, quod, quemadmodum nos jam tum fecimus, etiam Patres secundum primam partem contractûs exhibuerint suas sententias: adeoque Theologorum orbis, & quod præcipuum est, sancta Sedes dijudicabit facillè de doctrinâ utriusque partis.

Cùm autem hanc viam adèò apertam Patres ingredi detrectent; rursus hinc conficitur quod totum illud molimen quæstionum præliminarium non aliò tendat, quàm ut suas sententias non cogantur exhibere.

§. 2. Tri-

Trilemmate ostenditur crambem illam notissimam, toties recoctam, eo sine iterum coqui, ut sententias suas in lucem dare non cogantur.

Vel S. Sedes sententias nostras de bonorum operum principio, de morum regulâ, de humanarum actionum scopo five fine &c. suo Judicio confirmabit, uti confidimus, vel reprobabit, uti Patres sperare se saltem simulant; vel, quemadmodum de doctrinâ Censuræ Lovaniensis, judicabit sententias nostras *posse teneri & doceri sine offensa S. Sedis.*

Quidquid illorum eveniat, inutilia prorsus sunt præliminaria. Nam si primum contingat, confidimus fore ut Patres Apostolicæ decisioni pareant: nec dubitant, credo, quin & nos parebimus.

Quid verò si secundum contingat? Non dubitantus quin se submissuri sint Patres: de nobis verò quid dubitant, cum illas ipsas sententias nostras, primum in exhibitione earundem, deinde iterum in ultimis Thesis nostris S. Sedis judicio submiserimus; & nunc pro tertiâ vice iterum submittamus? Quod si post tot submissiones, verbo nostro non steterimus, tum demùm Patres justè poterunt nos accusare, quod Christi in terris Vicario simus refractarii, & quod insuper contractum non impleverimus.

Postremò si tertium accidat; dubitare non possunt Patres, quin tam promptè amplexuri simus judicium S. Sedis, quàm nunc istud amplectimur circa doctrinam Censuræ Lovaniensis.

Quorsùm ergò tam importunè, contrà contractum inter nos initum, iterum pro tertiâ vice obruduntur toties repulsa præliminaria & in iis crambe recocta? Nisi ut Patres non cogantur tradere suas sententias?

CONCLUSIO TERTIA.

Apologista frustrâ allegat varias rationes, ob quas Patres non censeantur erubescere doctrinam suam; etsi eam non exhibeant eo modo, quo nostram exhibuimus.

Primam rationem, quâ suos excusat, exprimit Apologista his verbis: *Doctrinam nostram quotannis proponimus publicis Thesis de universa Theologia defendendam. Si ejusmodi exhibitio suffecisset, non opus erat convenire, ut quemadmodum nos, ita & ipsi traderent doctrinæ suæ Articulos; cum jam pridem soliti sint Theologiam universam quotannis defendere.*

Deinde non quærebantur sententiæ unius, vel sententiæ quæ disputationis causa proponuntur; sed quæ communiter à Patribus in Belgio & absolutè tenentur. Nam Authores famosi *Speciminis Romæ exhibiti innuunt sententias eo titulo non habendas esse veluti suas, quod in Thesis aliquâ fuerint propugnata.*

Secundò allegat hanc rationem: *Doctrinam nostram tibi expressi sæpiùs, variis hinc inde editis Thesis. Estque opposita potissimum doctrina Lutheri, Calvini, aliorumque, sed & Cornelii Iansenii & Michaëlis Baii, uti & tua, tuique in doctrinâ principalis.*

Præter ea, quæ ad rationem priorem allegavimus, huic respondemus, quod adeò vaga & incerta sunt, quæ Author Apologiæ in tot tamque diversis Thesis contrà me editis defendit, ut fortè anni requirerentur, quò posset inde certò statui, quid vel ipse Author Apologiæ sentiat. Exempli causâ, de gratia & prædestinatione, an in utroque Molinam & Lessium cum suis Affeclis, an verò Cardinalem Bellarminum & Tannerum cum suis sequatur? Item cur Lovaniensium doctrinam de gratia per se efficaci pro solo statu naturæ lapsæ potius, quàm Thomistarum pro utroque statu, culpandam sentiat: Et similiter, quam sentiat debere esse morum nostrorum regulam? Quod enim de *vera Germanaque*

manaque probabilitate eâ occasione dixit, hæcenus non intelligitur. Necdum etiam capitur, quoties Deum sentiat amandum, ut præcepto dilectionis Dei fiat satis: atque ita hæcenus non constat, quid sentiat de scopo sive fine humanarum actionum. Et hæc quidem sunt præcipuæ materiæ, de quibus inter nos disputatum est; præter quas sunt aliæ plurimæ, quas tractavimus occasione Propositionum 65. quas proscripsit Innoc. XI. Fatetur quidem Author ille se recedere à Propositionibus istis condemnatis; verum recessus ille circa singulas comprehendit multos gradus, ita ut incertum maneat, quam procul indè recedat, vel certè quam propè accedat.

P E R T I N E N T I A.

Concordia ineanda erat super doctrinâ. Hanc Lovanienses promptè ac libenter exhibuerunt: Patres econtrâ exhibere detrectant. Iudicet hinc Lector, utra pars concordiam sincerius querat.

I. Si Doctrina alterius partis, qua à nobis dissentit, sit magis, ut prætenditur, conformis decisionibus Apostolicis, quàm nostra; cur potius, illi, quàm nos detrectant doctrinâ suâ Articulos in lucem edere, atque ad S. Sedem mittere?

III. Si Apologista eam, quam oportet, exhiberet reverentiam erga constitutionem SS. D. Innocentii XI. caveret nobis inurere atque illas sive censuras sive notas, quibus tot Theses suas & specialiter ultimas implevit, ut vix possent deteriora dici in Lutherum & Calvinum. Sed quâ auctoritate, an ordinariâ, an delegatâ? Credo equidem quod qui hanc usurpant, nulli Episcoporum tantam concederent.


IV. Patres inter quatuor sua præliminaria primo loco posuerunt, omninò in dictâ Conferentiâ superfedendum esse ab Articulis qui abhinc aliquot annis S. Sedis iudicio commissi sunt: intelligunt 96. Propositiones Romæ à Patre Duffy exhibitas quarum occasione accusatur Doctrinâ nostra de Gratiâ, de Ignorantiâ Juris natura, de actibus referendis in Deum, de dilatione Absolutionis &c. adeoque de materiis omnibus maximè controversis: Quomodo ergò sincerè voluerunt habere conferentiam super doctrinâ Articulis nos inter & ipsos controversis? Et quod præcipuum, quâ sinceritate mundo persuadetur, quod desideratam conferentiam neque modò recusent, si præliminariis & præcipuè quod tertio loco ponunt fuerit satisfactum? Nec valet responsio, si dicant, ubi tertio præliminari satisfactum fuerit, se recessuros à primo, quia nefas esse censet Anti-theosum & Apologia Author causam ad Romanum Pontificem delatam referre ad Archi-episcopum.


V. Articuli nostri propositi sunt obscurè, implexè, æquivocè & ambigè ut idem ait in suis Anti-theisibus. Quid ergò satis clarum sive voce sive scripto, sive simpliciter, sive cum confirmatione quâcumque à nobis poterit exhiberi aut responderi illis, quibus propositiones aded simplices, aded breves, & quarum pleræque ex primis deducuntur ut corollaria, sunt adhuc obscura, ambigua &c. Quid præterea juvisset satisfecisse quatuor præliminariis, imò & sexcentis aliis cum post hæc omnia Articuli nostri dicendi erunt obscuri, implexi, æquivoci, & ambigui. Si Patres tam clarè exprimerent suos, quàm nostros expressimus, non solum nos, sed quod unicè optamus, totus Theologorum orbis facilè intelligeret quid doceant.

VI. Si necessitas gratiæ per se efficaci ad singulos actus bonos posset probari ratione naturali ex dependentiâ creaturæ intellectivæ à Deo; aequè deberet admitti pro primo statu ac pro hoc: & idè potius ex Scriptura Sacra loquente de homine lapsa, item ex Traditione Ecclesiæ, doctrinam nostram de gratiâ per se efficaci probandam censemus.

VII. Alia nostra duo principia (quod nimirum Deus, non verò probabilitas, sit regula morum; & quod Deus debeat sub peccato mortali esse noster finis ultimus simpliciter sive ipsius agentis; & sub veniali, secundum quid sive ipsius actionis) non ex sola auctoritate, ex. gr. Scriptura, sed insuper ex ratione & ex ipsâ dependentiâ creaturæ intellectivæ à suo Creatore probamus; atque idè pro quovis statu principia ista locum habent.

F I N I S.





Theles
Doctorū
Academiae
Lovan.

Th
2170